

tate per Diaboli tyrannidem in istud praesentis vitae  
lupanar ac prostibulum deciderunt. Invenies autem his  
exemplis usos etiam prophetas cum ad Hierusalem  
10 loquuntur. Et illa enim in prostibulum decidit et in  
meretricationem novi generis, sicut designat Ezechiel  
propheta dicens : « Omnibus meretricibus dantur merce-  
des, tu autem dabis mercedes amatoribus tuis et facta  
est in te res perversa praeter omnes mulieres. » Et iterum  
15 alius dicit : « Sedisti super viam exspectans eos sicut cor-  
nicula desolata. » Istam ergo quae sic meretricata est,  
revocat rursus ad se Deus. Nam et captivitas, quae facta  
est, non tam pro poena quam pro conversione facta est.  
Nam si eos punire voluisset Deus et perdere, non utique  
20 denuo revocasset ad patrium solum, neque rursus civi-  
tatem deiectam maiore gloria aedificari fecisset ac tem-  
plum. « Erit enim, inquit, gloria domus huius novissima  
super illam priorem. » Quod si illam quae frequenter  
meretricata est, non excludit Deus a paenitentia, multo  
25 magis tuam recuperabit animam, quae nunc primum  
corrui. Nemo enim, nemo amatorum carnalium, etiamsi  
sit in hac supra modum insaniens, ita exardescere potest  
in amore dilectae suae, sicut Deus effunditur in amorem  
animarum nostrarum. Quod quidem possibile tibi est et  
30 ex his noscere quae per singulos dies geri videmus. Potes  
etiam ex Scripturis divinis evidenter advertere. Intuere  
denique vel in principiis Ieremiae quae referuntur de Deo,  
vel apud reliquos prophetas, quomodo cum despiceretur